MARMORA ALBANA
SIVE
IN DUAS INSCRIPTIONES GLADIATORIAS CONJECTURÆ.

MARMORA ALBANA

SIVE

IN DUAS INSCRIPTIONES GLADIATORIAS COLLEGII SILVANI AURELIANI

Inter Rudera URBIS ROMÆ
nuper repertas

CONJECTURÆ

AUCTORE

RODULPHINO VENUTO CORTONENSI
REGIÆ SOCIETATIS ANTIQUARIÆ LONDINEN. SOCIO.



ROMÆ, MDCCLVI.
Sumptibus FAUSTI AMIDEI Bibliopolæ in Via Cursus.

Ex Typographia BERNABÒ, & LAZARINI.
SUPERIORUM FACULTATE.

In rebus tam antiquis, si quæ similia veri sint pro veris accipiantur, satis habeam *Liv. lib.* 5. *cap.* 21.

Perilluſtri, ac Celeberrimæ
REGIÆ SOCIETATI
ANTIQUARIÆ LONDINEN.

RODULPHINUS VENUTI
ÆTERNITATEM PRECATUR.



UM certior hoc anno ſim factus, Ampliſſimi Viri, publicis Academiæ acceptis litteris, meum qualecumque nomen in Album veſtræ CELEBERRIMÆ SOCIETATIS *relatum fuiſſe; honoris non meriti, nec umquam ſperati magnitudine obrutus, quo me*

me verterem nesciebam, ut grati animi mei sensus, & observantiæ meæ debita argumenta Inclytæ isti Academiæ palam facerem. Res enim, cui parem me non esse intelligebam; imo quam longe juxta ingenii vires sentiebam; ea est, quà non solum gratias honori tanto pares habere, sed quæ verbis, quantum honoris mihi sit adjunctum, comprehendere possim. Sed qualescumque sint ingenii mei vires; potius indocti hominis nomen subire decrevi, quam ingrati. Hanc igitur Dissertationem Amplissimo nomini vestro nuncupare volui: Et ut hæc grati animi mei, & honoris, a vobis in me humanissime, & magno animo collati testis esset, simulque

vas,

vas, me non ſolum quam maxime Vobis, Clariſſimo Præſidi, & Anteſignano veſtro gratias habere, verum etiam, ſi quando vires ſuppetant, aut Bonus Eventus auxilium præſtet, relaturum. Memoremque me futurum, recipio non Dignitatis tantum, qua me de Italo cœtu exeruiſtis, & in veſtro, ſcilicet Doctiſſimorum Virorum, cooptaſtis, ſed officiorum quoque, & obligationum, quæ mihi locus tantus, & benignitas, humanitaſque veſtra impoſuit. Atque ad ea adimplenda omni niſu, & totis animi viribus ſemper incumbam, ut aliqua ex parte ipſi honori, & veſtræ de me opinioni ſatisfaciam. Valete.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolitanus Vicesgerens.

APPROBATIO.

LEGI, mandante Rmo Patre Augustino Maria Orsi Sac. Palatii Apostolici Magistro Dissertationem cui titulus: IN DUAS GLADIATORIAS INSCRIPTIONES COLLEGII SILVANI AURELIANI CONJECTURÆ, *Auctore Rodulphino Venuto Cortonensi*. Nihil in illa offendi Christianæ Religioni, aut bonis moribus adversum. Conjecturæ solidæ sunt, & multiplici eruditione refertæ; & lectori antiquarum rerum studioso perjucundas atque gratas futuras pro certo habeo, si typis ædi contingant.

Hac die 22. Julii 1756. in Collegio Clementino.

D. Jo: Franciscus Baldinus Cleric. Regul. Som.

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Sacri Palatii Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

IN-

INTIO QVINTILLO . COS.

AVRELIANI

CVRAVS.
C. III

BORY 7RET. TIR
CLONIVS 7RET. N̄
CALIEVPORAS
ZOSIMVS 7RET. TIR
PLVTS. FELICIANVS
PERTS. FELIX
CAR· PACAN
CRIS· MARISCVS
PAR· SANCTVS
MILIVS..PACAN

CRYPTARIVS
DEC. IIII

APRILIS PAECNIAR
ZOSIMVS THR SP



INSCRIPTIONIS PRIMÆ EXPLANATIO.



Uo inſcripta Marmora tribus ab hinc menſibus effoſſa fuere in Urbe, & ut fertur in Aventino Monte, quæ forte fortuna inciderunt in manus Emi Cardinalis Alexandri Albani harum lautitiarum cultor eximius, qui ea tranſtulit in ſuum amœniſſimum ſeceſſum extra Portam Salariam, quem opere vere Regio, ac magnificentiſſimo modo extruit, exornatque. Ubi igitur Marmora ſum è propinquo contemplatus, dixi breviter quæ ſentirem:

Cum vero Inſcriptiones antiquæ eruditam quandam veluti lucem afferre viderentur, meam de illis ſententiam, ut uberiori ſermone explicarem Viri mei amiciſſimi perpulerunt, addentes in argumento ineſſe novitatem, cum Marmora nunc primum reperta ſint; atque ambo non nullas res non obvias contineant. At ne diutius ab inſtituto aberremus, ad Marmora propius accedentes, quid contineant verbis quam pauciſſimis Lectori explanabimus.

Silvanum, qui agreſtis ab initio Deus, ac veluti *arvorum pecoriſque cuſtos*, ſylvarum, & montium patronus colebatur; unde Virgilius [a]:

Silvano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum, pecoriſque Deo, lucumque, diemque

In hortos paulatim intulere, inde etiam in Urbes, ubi domeſtica ei munia, & propria urbani Dei aſſignarunt. Porro Silvanum domeſticum idem ſignificare videtur ac Larem,

a Virgil. Æneid. 8. num. 600.

rem, Geniumque qui tecti, domus, familiae custos esset.

Si veterum Inscriptionum rationem prosequamur, profecto fere in hisce omnibus legitur SILVANO AVGVSTO, at in nostra habetur SILVANO AVRELIANO, quod unum idemque est: nam cum Commodus Imperator praenomen *Marci Aurelii* obtineat, Collegium Silvani Aureliani, pro *Augustali* nomen nimis genericum sibi indidit. Si ceteris Diis, & Laribus tamquam Augustis vota solvebantur, cur non & Silvano Aurelianensi, vel Commodiano? Quum hic Deus *Pollens* inter alios titulos appelletur [a], quod nomen tantummodo datum est Herculi; ex quo arctissimam horum Deorum societatem, comunemque dignitatem, & cultum inferri licet, magis magisque Commodo consentaneum, qui amavit se *Romae novum conditorem, & Herculem Romanum* [b] dici, atque habitu Herculeo incedere non recusavit.

a *Fabret. de aqueduct. ap. Grav. tom. 4. pag.* 1731.

b *Dio. Herod. Lamprid. Vaillant. in numm.*

Illud hoc loco nullatenus prætermittendum duxi, privata non ſolum dicata fuiſſe Silvano Deo monumenta, ſed publica etiam, eaque magnificentiſſima [a]. In Viminali Templum ei fuit erectum, in ea parte, qua mons ſpectat occaſum Solis, cujus rudera adhuc ſuperſunt, quod ob vetuſtatem collapſum a Sexto Antonio Trevirenſi Cive inde reſtitutum docet nos Gruteriana Inſcriptio [b]: Alterum in Aventino Monte comune habuit cum Hercule: Alterius in Aventinis hortis ſoli Silvano ſacri meminit Petrus Victor [c], quod in altero Montis vertice ſitum fuiſſe opinatur Alexander Donatus [d].

Cum Silvanus Urbanus familiaris etiam Larcreditus, cultuſque fuerit, ut ſupra diximus, hoc quidem fortaſſe in cauſa fuit, ut Silvanum Magni Collegii Larem Præſidem ſtatuerint. De Silvani Collegio meminere Gru-

---

a *Marlian. topogr. Urb. Rom. pag. 93.*
b *Grut. pag. 64. num. 6.*
c *Petr. Vict. de Reg. Urbis.*
d *Apud Grev. tom. 3. pag. 109. Donat. Rom. Antiq. ibid. pag. 786.*

Gruterus [a],& Muratorius [b]. Ad hæc numina adnexa erant Sodalium Collegia ad ſacra faciunda. Si horum Collegiorum certum haberemus initium, nonnulla clarius exponi poſſent, atqui variantibus pro locorum varietate eorum inſtitutionibus, res in incerto vagatur. Certum eſt inter cœtus religioſos Collegia cenſeri, utpote quæ comunem Numinis cultum haberent, arcam comunem, comuniaque ſagrificia, & epulum ſtatis temporibus haberent. Dubitat Reineſius [c] inter ſacra ne, an politica collegia ejuſmodi ſint reponenda; verum ſimiles conventus *homines corporis religioſi vocabantur* [d]: cui opinioni eo libentius adhæreo, quo ab ipſa origine haſce ſodalitates ſacras fuiſſe ex Cicerone accipio [e].

At altius rem repetam. Plutarchus in vita Numæ, ait, ab eo Collegia inſtituta fuiſſe politica ratione; nempe ſecundum varia artium munera: In ſua quæque corpora artifi-

a *Grut. pag.* 318. b *Murat. pag.* 529. *num.* 5.
c *Vid. Reineſ. Inſcript.* d *Vid. Feſt.* e *De Senect.*

tifices a prudentiſſimo Rege jam pridem redactos fuiſſe, qui, *unicuique generi* ſuos peculiares conventus, & religiones præſcribens, tum primum ita ex Urbe ſuſtulit eam diverſitatem, qua alii Romani, alii Sabini, hi Romuli, illi Tatii cives cenſebantur, ſuaque diviſione id conſecutus eſt, ut omnes cum omnibus convenirent. Inter Collegia ſacra, Collegium Magnum, ita per Antonomaſia dictum, celebre eſt. De hoc Collegio Magno, quod idem eſt cum Collegio Larum, & Imaginum ſub tutela, & patrocinio Silvani plura ediſſerit Fabrettus tam in ſyntagmate Columnæ Trajanæ [a], quam in Inſcriptionibus [b], ubi SCRIBAM COLLEGII MAGNI memorat. In Aventino Lapis effoſſus eſt in privata domo Trajani, ubi legitur [c] CVLTORES LARVM ET IMAGINVM DOMVS AVGVSTAE. Hæc Collegia vocabantur etiam Sodalicia; inter Inſcriptiones a Fabretto donatas SODA-

a *Cap. 7. pag.* 205. b *Pag.* 447.
c *Donat. Rom. Vet. loc. cit.*

DALICIVM SILVANI memoratur[a] cum nominibus Decuriæ. Decurias hic, & alibi plures quam decem extitiſſe conſtat.

Sed antequam ad Inſcriptionis explicationem procedamus, perpulcrum erit alteram ſimilem inſcriptionem obſervare a Cl. Montfauconio[b] allatam in peculiari Diſſertatione ab ipſo elaborata inter volumina Regiæ Societatis Pariſienſis, iterum, iterumque typis recuſa a Cl. Marchione Scipione Maffejo[c] Muratorio[d], atque inter Marmora Taurinenſia[e]. Inſcriptio ita ſe habet.

COLLEGIVM
SILVANI . REST
ITVERVNT . M.
AVRELIVS . AVG.
LIB. HILARVS
ET . MAGNVS . CRYP
TARIVS . CVRATORES.

Marmor repertum fuit, veluti Montfauconius

a *Pag.* 448. *loc. cit.*
b *Tom* 1. *Edit. Italic. Venet.* 1748. *Diſſ.* VI.
c *Antiq. Gallic. pag.* 27. d *Tom.* 1. *pag.* 127.
e *Murat. Inſcrip. &c.*

nius teſtatur, in luco Vincennenſi, vulgo *Vincennes*, prope Abbatiam S. Mauri *des Foſſez*: Nomina M. Aurelii, & Magni Cryptarii eadem ſunt, quæ in noſtra habemus Inſcriptione, ex quo oritur conjectura ſatis probanda in Galliis extitiſſe alterum Collegium Silvani a noſtro Romano, vel Magno, vel altero dependens, cui ex Urbe præerant iidem Curatores, qui noſtro præſidebant, videlicet M. Aur. Hilarus, & Cœlius Magnus Cryptarius.

Cum L. Aurelius Commodus Imperator muneribus Gladiatoriis quam maxime oblectaretur, unde poſt prandii tempus in Theatro cum magnificentiſſima ederet ſpectacula, & ipſe ſe exerceret, atque armis uteretur Secutoris, teneretque ſcutum dextera, gladium ligneum ſiniſtra, ob eamque cauſam maxime gloriaretur, quod ſcæva eſſet, mirum non eſt, ſi Gladiatorum familiam dilexerit, atque ab ea ſit omnimodè cultus. Dio Auctor illius ævi ita inquit [a]: *Cer-*

[a] *In vit. Commod. tom. 2. Edit. Baſil.*

Certabat cum eo ejus ludimagiſter, vel potius gladiator, cui ferula erat in manibus, eumque ipſe provocabat interdum, interdum delegebat populus. Id etiam, ceteraque omnia cum reliquis gladiatoribus pariter faciebat: quamquam hoc uno differebat, cum illi parva accepta pecunia deſcenderent in certamen; Commodo autem numerabantur ſingulis diebus de pecunia gladiatorum decies ſextertium.

Gladiatores igitur obtinuerunt ab Imperatore Commodo, ut Collegium inſtituerent, veluti artes nonnullæ, quæ uſque a temporibus Numæ Pompilii, & Servii Tullii habebant, forſan in Aventino ad Ædem Silvani, & Herculis, indulgendo Genio, & nomine Auguſti, qui *Herculius* dicebatur, vel novum, vel alterum, quamvis de antiquiore Gladiatorum Collegio nullam repererim memoriam.

INSCRIPTIO PRIMA

IMP. CAES. L. AVRELIO . COMMODO .
M. PLAVTIO . QVINTILLO . COS.

Initum Collegium fuit Imperatore Cæsare Lucio Aurelio Commodo, & M. Plautio Quintillo Coss. videlicet Anno V. C. DCCCCXXX. Chr. CLXXVII. III. Imperii anno [a]. In Fastis alter Consulum appellatur tantummodo *Quintillus*. Plautius Quintillus Consul fuit cum Statio Prisco sub Pio Principe anno XXI. Imp. V. C. DCCCCXI. iterum vero cum Commodo A. V. DCCCCXXX. Prioris Consulatus meminit Inscriptio vetusta Gruteriana [b], & utriusque Pandectæ [c].

INITIALES . COLLEGI
SILVANI . AVRELIANI.

In Glossario latino Barbaro Ducangii [d] *initiatus*, & *initiatæ*, pro incipientibus in pluribus allatis chartis legitur; unde mirum non sit si verbum minus frequens *initiales* hic sumitur loco fundatores Collegii, quorum nomina sunt infra scripta.

CV-

a *Vid. Almelowen. Reland. & Vigniol. de Ann. Alex. Sever.*

b *Pag.* 155. c 38. *ad S. C. Tertull.* d *Lexic. tom.* 1.

CVRATORES . M. AVRELIVS ...
AVG. LIB. HILARVS
ET . COELIVS . MAGNVS
CRYPTARIVS.

Curatores qui præessent Collegio fuere electi M. Aurelius Aug. Libertus Hilarus, & Cœlius Magnus Cryptarius. Hæc eadem nomina habentur quoque in Inscriptione Gallica[a], ut jam diximus. Cl. Montfauconius[b] credidit M. Aurelium extitisse Libertum M. Aurelii Imperatoris; at nos putamus extare potuisse Libertum tam patris, quam filii, cum & Commodus Imperator M. Aurelii nomen præseferat: In secundo nomine in Inscriptione Vincennensi deficit COELII prænomen, unde *Cryptarius* veluti nomen accepit Montfauconius, cum nos officium potius credamus. Verbum *Crypta* non raro invenitur apud scriptores veteres: Seneca[c]: *Aceromate nos apte excepit in Crypta Neapolitana*, & Juvenalis: [d]

Et solitus mediæ Cryptam penetrare Suburræ.

 In

a *Loc. cit.* b *In Differt. de Monum. Gallic. antiq.*
c *Epist.* 58. d *Sat.* 5.

In veterum Chriſtianorum monumentis ſæpe legitur *Crypta*, *Crupta*, & *Cryptarius*, & *Cruptarius*, pro ſepulcro, vel cavea ſubterranea, ex quo *Cryptarii* dicti fuere etiam *Foſſores*: Non ergo putes parvum officium eſſe *Foſſorum* ait Boldettus [a], qui dicebantur etiam *Porticarii*, *Arenarii*, *Cryptarii*, *laborantes*. Cryptarii ut autumo, vel erant inter *beſtiarios* connumerandi, qui pugnabant cum feris è cavea eductis, vel Cryptas Amphiteatri, vel illius arenam curabant. Hi igitur Curatores Collegium reſtaurarunt ſub Imperatore Commodo, potius quam ſub M. Aurelio patre ſecundum Montfauconii ſententiam.

Antequam ad nomina, & officia Gladiatorum explicanda orationem proſequamur, aliqua duximus adnotanda circa Collegia, Corpora, & eorum Decurias. Nonnullas viciſſitudines habuerunt Romæ Collegia: Vix latine ullus Collegia *Sodalitia* dixerit, ſed Collegia *Sodalium*: at ne per-

tur-

a *Boldett. de Cemet. pag. 65.*

turbatione ordinum, & Collegiorum aliquid peccetur, aliud plerumque pro alio accipitur, ut Collegium Senatorum, Collegium Ordinum, Collegium Pontificum, [a] atque ad ea constituenda tantummodo tres homines satis erant [b]. Sodalitates vero, ut ait Cicero [c], Questore M. Catone majore constitutæ sunt sacris Idæis Magnæ Matris receptis. Cum nonnulla ex istis Collegiis Sodaliciis quieti Urbis adversa sæpe acciderint, eo quia sine publico consensu convenirent in unum, hoc assumpto prætextu seditiosi homines ad patranda scelera, seditionesque ex S.C. variis editis legibus sancitum fuit, quod Collegia similia abolerentur, exceptis Fabrorum, & Lictorum Collegiis; quæ restituta tamen fuerunt per Pub. Clodium [d] *L. Cæcilio Q. Marcio Coss. Senatus Consulto Collegia sublata sunt, quæ adversus Rempublicam videbantur esse. Solebant enim Magistri Colle-*

a *Gurl. de vet. Jur. Pontif. Urb. Rom. lib. 1. cap. 3.*
b *De Sen-ct. cap. 13.* c *Ascon. in Cicer. pag. 131.*
d *Id. Ascon. pag. 158.*

Collegiorum ludos facere, ſicut Magiſtri Vicorum faciebant compitalicios prætextati, qui ludi, ſublatis Collegiis, deſierunt. Poſt novem deinde annos quam ſublata ſunt, Publius Clodius Tribunus Plebis lege lata reſtituit. Hæc Collegia dividebantur in ſacra, & profana; inter ſacra connumerabatur illud Fratrum Arvalium [a], qui ſacra faciebant ad ubertatem agrorum a Diis impetrandam; ita quoque Silvani Collegium inter ſacra connumerandum puto, Magnum quandoque dictum forſan, quod præeſſet aliis Silvani Collegiis per Orbem Romanum inſtitutis; ad quam probandam ſententiam non levis eſt conjecturæ Marmor à Montfauconio allatum, in quo Curatores Collegii Silvani Romæ exiſtentes mandant, ut Collegium Gallicum Silvani vetuſtate fatiſcens in priſtinam redigatur formam. Inſuper addam, Collegium Magnum Silvani veluti antiquius, ac celeberrimum forſan præfuiſſe etiam Collegio noſtro, nuper inſtituto, at-

que

a *A Turre Mon. Vet. Antii.*

que Imperatori & Silvano dicatum. Collegium Silvani in Galliis noſtro antiquior eſt ſine dubio, forſan inſtitutum, ut cenſet Montfauconius paulo poſt quam Galliæ in poteſtatem Populi Romani fuere redactæ. In Urbe Roma Silvani cultus antiquiſſimus, ac frequens fuit. Cl. Fabrettus memorat via Oſtienſi lucum extitiſſe, in quo rudera antiqui Templi obſervavit cum inſcriptione SILVANO SANCTO. Sodales, qui Collegium Magnum Silvani componebant, ſupra centeſimum numerum computabantur, ut habemus in antiquo Marmore, quod eorum nomina refert [a]; in eo Præſes Collegii, ſeu *Initialis*, ut dicitur in noſtro Marmore, appellatur C. IVL. ELPIDEPHORVS CIRINVS, vocaturque PATRONVS . SODALICII: ſequuntur deinde ſex alii, qui dicuntur IMMVNES, demum XCII. Sodalium nomina adſcripta leguntur per Decurias diſtributa. Noſtrum Collegium in quatuor tantummodo Decurias dividitur; nume-

a *In Sintag. Col. Traj. & in Inſcript.*

merus vero Sodalium non excedit XXXII. Decuriæ non ſemper ex X.viris componebantur, ut Montfauconius obſervat, quamvis id indicare videatur Decuriæ nomen, ſed quandoque Decuriæ compoſitæ erant ex VII. XIV. & XV.viris, uſque ad XVI.; at in noſtro lapide in tribus Decuriis X. tantummodo obſervantur, in quarta, veluti non completa, duo tantum ſunt aſcripti, vacante reliquo numero.

DEC. I.
PORISTENES. THR. VET.

Aliam Inſcriptionem Gladiatoriam Venuſii repertam adfert Fabrettus [a], in qua inter munera gladiatoria legitur TR., ſeu ut in ſecundo THR. Thrax, vel Thraces, de quibus, & eorum armatura plura, novaque idem Auctor attulit [b]. Non tantum a peculiari gladiatoria pugna vocabantur, ſed quia ipſi ex ea gente erant: Certe ſuo ingenio

a *Inſcrip. num.* 202. 203.
b *Cap.* 8. *pag.* 256. *Synt. Col: Trajan.*

nio ea gens prona ad pugnas, & cedes; eorum arma Thracidica fuere dicta; & inde *pugnare Thracidicis* Cicero dixit [a]. Festus [b], & Martialis iis [c] *parmam* dant, sumpta enim *parma* a Thracum populo, quibus veluti propria erat; *harpe* etiam, idest ensis falcatus Thracum, Latinis *sica*, a Curtio *Copys* dicta. Veteranus inter Thraces appellatur Poristenes, videlicet in hac militia jam emeritus, ac rude donatus. Dicebantur etiam *consumati* [d], qui jam artem usu diuturno callerent.

CLONIVS . HOPI.... VET.

Hoplomachus universe sonat quemvis Gladiatorum, qui pugnat armatus; tamen species est certa Gladiatorum, quæ Hoplomachorum dicebatur; de quibus Inscriptio est apud Fabrettum [e]; Humeros exhibebant ex parte nudos, capitisque operimento carentes; altera tamen bradii pars armata pu-

a *Pro Mil.* b *Fest. in verb.* c *Martial. in Epigr.*
d *Frontin.* 4. 3. 12. e *Loc. cit.*

gione, clypeoque protecta erat, altera vero fuſcinam vibrabat [a].

CALLISTENES . THR. VET.
ZOSIMVS . ESS. VET.
PLVTON . ESS. VET.

Eſſedum, vel *Eſſeda* currus appellabatur quo utebantur in bello Galli [b], & Britanni, unde Eſſedarius dicebatur ille, qui pugnabat è curru: Hi forſan meo judicio vocabantur etiam *Galli*, & *ludus Gallicus* ubi ſe exercebant [c]. Erant igitur Eſſedarii gladiatorum genus a Myrmillonibus diverſum. Nam Plutarchus [d] ex Spartaci manu alios Gallos, alios Thraces inter Gladiatores, fuiſſe dicit, ubi prudens ejus latronis conſilium laudat, cogitantis, poſtquam a ſe ſuperari Romanorum potentiam deſperavit; *Optimum eſſe, ut ſuperatis Alpibus in patriam ſuam Galliam alii, reliqui Thraciam diſcederent*. Eſſedarii, ait Lipſius [e], *ſunt qui*

a *Vid. Coll. Antiq. Borioni*. b *Caſ. de bell. Gall.*
c *Aur. Vict.* d *In Craſſo*. e *Diatrib. de Gladiat.*

qui ex Essedo pugnant; quamquam mixtim, modo è curru, modo pedites præliati sint; nam desiliisse, & pedibus pugnasse innuere videtur Seneca [a]. Servum etiam habuisse videntur in pugna, qui pro auriga equos regeret [b].

PERTINAX . 7RET. VET.

Centurio Retiariorum Pertinax fuit, vel in Centuria Retiariorum adscriptus, & jam emeritus; quod sigla 7 significat, veluti omnibus jam perspectum [c]. *Retiarii* cum *Secutoribus* pugnabant fuscina potissimum

a *De Clem.* b *Lipf. de Gladiat. lib.*

c *Differt. di Cort. tom.* VII. *Differt.* IV. *pag. 62. del P. Bernardino Vestrini sopra un Iscrizione.*

Il segno della Centuria nelle Iscrizioni militari suol essere simile alla cifra Arabica del numero 7, e rari sono quei Monumenti ove si veda in sua vece un ɔ a rovescio, come porta l'Iscrizione Umbriciana. Gli Eruditi hanno creduto, che il segno 7 abbia correlazione al tralcio di vite, o alla verga torta, che si vuole portassero i Centurioni, e però denoti il loro Uffizio: sicchè parrebbe, che il segno ɔ fosse un alterazione del vero segno 7. Io però penso, che tanto ɔ, che 7 siano segni primitivi della Centuria, come lettere iniziali della detta voce. Basta leggere gli Etruschi Alfabeti, e si vedrà, che la lettera ɔ, o 7, e il ɔ, e il 7 degli

 Etru-

mum hostem excipiebant ne jaculo caperentur[a]; in genua procumbebant, ut inimicum longius inspicere possent, atque ejus artes, hastusque eludere, fortiterque illum expectare. Retiarios a Justo Lipsio luculenter descriptos habemus[b].

CARPOPHORVS . MVR. VET.
CRISPINVS . MVR. VET.

In Inscriptione a Fabretto allata M. sive ut in secundo lapide MVR. Myrmillones recensentur, quos Lipsius cum Hoplomachis, & Samnitibus confundit; frustra tamen, ut in nostro Lapide, in quo distincte

Etruschi, simile al Coph degli Ebrei: onde dagli antichi Latini, e specialmente nell' Etruria, saranno state usate in alcuni casi le formazioni antiche in vece della forma nuova del C. In fatti si trova Ɔ. IVLIVS e 7. IVLIVS, e ƆL. e 7L. in vece di CL. per dinotare *Caii Libertus*, trovandosi nella sovralodata Tavola Gruteriana replicato più volte, come in appresso:

Ɔ. IVLIVS . 7L. DEMETRIVS.

Cajus Julius, Caii Libertas Demetrius. Ecco per tanto la vera origine del famoso segno 7, usato poi in altro senso ne' bassi secoli, senza ricorrere, come fin ora è stato fatto, alle verghe storte de' Centurioni.

a *Collect. Rom. Antiq. Borion.* b *Loc. cit. cap.* I.

cte Hoplomachi a Myrmillonibus recensentur.

PARDVS. PROV. VET.

Provocatores, quos & Samnites Lipsius vocat; at melius cum Cicerone, hi cum Samnitibus solebant componi. Artemidorus *Probactores* vocat, voce videlicet peregrina. Arma eorum Livius describit: scutum auro, & argento cælatum, cujus summum latus, qui pectus, & humeri teguntur, fastigio æquali ad imum cuneatis, mobilitatis causa, baltheo, & ocreis armati.

NILPHIVS. MVR. VET.

Aliqua addam de Myrmillonibus; ita meo quidem judicio appellati, quia pugnabant cum manicis ferreis, vel cum viriculo, quo collum astringebatur. Eorum armaturam describit Juvenalis:[a]

Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto Galeæ curvatur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro.

Pro

[a] *Sat.* VI. *num.* 26.

Pro lorica ſpongia erat pectori adpreſſa, vel faſcia ex pluribus contabulationibus denſata.

DEC. II.
VITVLVS . MVR. VET.
DEMOSTENES . MANICAR.

Manicarios, qui & Dimacharii dicebantur, colligas facile duobus gladiis pugnaſſe. Hi gladiatores ſunt parum noti, difficileque inventu. Cum unus ex Gladiatoribus peteret, vitaret alter; hanc petitionem Seneca dixit *Manum mittere*, Gladiatorium verbum, quod eſt *petere*; atque in pari numero pugnabant.

FELICIANVS . RET. TIR.

In ludo Gladiatorio duo erant genera: Tirones, ſeu novicii, & Veterani; iſti nobiliores, & uſu longo edocti. Ad Tirones Doctorum, & Magiſtrorum cura, & inſtructio præcipue pertinebat; qin iidem *commentarii* dicuntur, *& dictata dare*, verbis omnibus a meliore ludo ſumptis, ut Lipſius

psius[a] observat; nec inepte *dictata*, quia revera præcepta sua armorum commiscere etiam scriptis solebant.

SERVANDVS . RET. TIR.
IVVENIS . MVR. SP.

Forsan *spectator*, diversus a Tirone, qui quandoque nulli adhuc certamini erat adscriptus; hic inter Myrmillones erat tantummodo spectator.

RIPANVS . 7RET. TIR.
SILVANVS . 7RET. TIR.
SECVNDINVS . PROV. TIR.
ELEVTHER . THR. TIR.
PIRATA . VNCT.

In loco pugnæ spoliario suus erat locus, ubi servi erant, qui vestes communes exuebant, propriasque ludo induebant Gladiatores, veluti scutum, cassidem, aliaque cuique propria: inter alios etiam *Unctuarii* erant,

a *Loc. cit.*

erant, qui nuda Gladiatorum corpora, & capillos ungebant, atque pulvere aspergebant, ut difficilius ab adversariis teneri possent. Praeclarissima illa statua in Museo Capitolino Gladiatoris animam agentis, sive ex Myrmillonibus, sive ex Lorariis sit, crines habet tali forma compactos, veluti unctos, atque in massas conglomeratos.

DEC. III.

BAROSVS. 7RET. TIR.

AEMILIANVS. 7RET. N̄.

Sicuti in agmine Gladiatorio reperiuntur Gladiatores *suppostitii*, qui aliquo ex dimicantibus vel fesso, vel sancio in munere subducebantur: ita aliqui erant, qui ex ipsa Decuria peculiariter seligebantur, qui *Numerarii* appellati erant [a]; potius quam *novi* veluti autumant nonnulli.

VL-

a Vid. Dion. in vir. Commod.

VLPIVS . EVPORAS
PROSHODUS . 7RET. VET.
AVRELIVS . FELICIANVS
AVRELIVS . FELIX
ZOILVS . PACAN
FLAVIVS . MARISCVS
FLAVIVS . SANCTVS
DIODORVS . PACAN.

Cum nullo ſint hi agmine Gladiatorio inſcripti, dubitari facile poſſet ex numero extitiſſe *Catervariorum*; ita dicti a modo pugnæ; ſcilicet, cum non ſinguli cum ſingulis, ut moris, ſed confuſi, mixtique pugnarent, & per catervas, unde Svetonius [a] dixit *Catervarii* pugiles.

DEC. IIII.
APRILIS . PECNIARIVS.

Pecniarius, quod idem eſt ac *Pecmarius* Gladiator erat, nomen ſumens ab ar-

a *In Vit. Claud.*

mis: ii igitur a loco nomen habent, quia pegmatibus impositis pugnabant, licet tantum captivos, aut insignis sceleris damnatos in pegmatis solere ostendi constet. Ad pegma autem moliendum, movendumque multi è numero Fabrorum erant administri: ii ergo admoti per occasionem, tractique in arenam a Calligula [a], deficientibus bestiariis.

ZOSIMVS . THR. SP.

Hæc Decuria duo tantummodo continet Gladiatorum nomina; vel quia Decuria non esset adhuc completa, vel quod alii Gladiatores sumptus instituti Collegii ferre non possent, ideoque ab ipso se abstinerent.



MAR-

a *Suet. in Calig.*

COMMODO . FELIX . FAMILIA.

STVIT . DEDICANTE.

SLICITER . ORDINI.

PRIBVS.

C LIBERTO . EVPORAN

MVM . CAESAREM.



MARMOR SECUNDUM

FELICI . IMPERATORI . OMNIA . FELICIA
SALVO . COMMODO . FELIX . FAMILIA .



Cclamari ſolitum Imperatoribus omnibus notum . Paulus Diaconus [a] ob Pertinacis laudem ingeminatis ad vocis uſque deliquium plauſibus acclamatum eſſe refert: *Pertinacem Imperatorem ſecuri viximus*, *neminem timuimus*, *Patri Pio*, *Patri Senatus*, *Patri omnium bonorum*. Non aliter Principibus acclamabatur in Senatu , quam , *Felicior Auguſto*, *Melior Trajano*. Capitolinus [b] refert accla-

a *Lib. 8.* b *In vit.*

mationes a populo M. Aurelio Commodi patre: *Philosophiæ tuæ*, *Patientiæ tuæ*, *Innocentiæ tuæ*, *Castitati tuæ*. Ipse Commodus non tantum amavit acclamari a Populo, quam a Senatu, maxime post peractam pugnam Gladiatoriam ab ipso exercitam: Ita Dio [a] testis ocularis, & particeps scribit: *Tum nos magna voce dicebamus multa, & jussi eramus, illud autem crebro: Dominus es, primus es, vincis omnes felicissime ex eterno tempore, Amazonie vincis*. Mirum igitur non sit, si in nummis hujus Imperatoris nonnullæ acclamationes reperiantur, videlicet FELICITATI . CAES., FELICITATI . PERPETVA . AVG., TEMPORVM . FELICITAS., FELICIA . TEMPORA . PIO . IMP. OMNIA . FELICIA., VOTIS . FELICIBVS . HERCVLI . ROMANO . AVG. HERCVLI . ROM. CONDITORI . SAL. GEN. HVM., VOTA . PVBLICA., VOTA . SVSCEPTA., VOTA . SOLVTA., IOVI . IMP. OMNI. AETER-

a *Dion. tom. 2. pag. 325. ed. Basil.*

AETERNA [a]. Moris fuit ut acclamationes populi si præsens non esset ad Imperatorem a Præfecto Urbis, aut Senatu mitterentur. Erat aliquis qui formulam acclamationis conciperet, veluti præcentor, reliqui voces ab eo acceptas reddebant, quæ Plinius *Cantica*

---

a *Vaill. num. tom.* I. *pag.* 96. 101. 102. *tom.* 3. *pag.* 155. *Differt.* VI. *di Monsieur Beauvais tom.* VII. *dell' Accademia di Cortona pag.* 94.

Era da lungo tempo il Senato in uso di dare a larga mano agl' Imperatori Romani più stravaganti, e ridicoli elogj; non ne fu avaro con Comodo. Il primo fu egli ad avere il titolo di *Felice*, unito a quello di *Pio*, e di *Clemente*, come portarono Antonino, e Marco Aurelio. PIVS. FELIX. Fu decorato col grato nome di Padre della Patria da pochi Imperatori meritato. PATER. PATRIAE. Di Padre del Senato benche facesse morire gran numero di Senatori. PATER. SENATVS. Fu tenuto propagatore della Pietà. AVCTOR. PIETATIS. Autore della pubblica felicità. FELICITAS. PVBLICA. Del piacere, e gioja di cui andavano fastosi i Cittadini. LETITIAE. CIVIVM. Dandogli gl' istessi attributi della Dea della Salute. SALVS. GENERIS. HVMANI. Gli abitanti della Città di Nicea gli fecero battere una Medaglia, che trovasi nel Museo del Re Cristianissimo col seguente elogio. ΚΟΜΜΟΔΟΥ. ΒΑϹΙΛΕΥΟΝΤΟϹ. Ο. ΚΟϹΜΟϹ. ΕΥΤΥΧΕΙ. *Commodo Regnante Mundus beatus est*. Oltre tali elogj de' quali vanno ripiene le Medaglie di questo Prencipe, fece plauso il Senato alla sagrilega frenesia di un tal Uomo, che credevasi una Divinità in terra, e gli coniarono Medaglie, ove era detto. HERCVLI. ROMANO. IOVI. EXSVPERANTISSIMO. Per finirla, benche le stra-

tica vocat. Collegium nostrum Gladiatorium non tantum acclamabat voce, sed etiam in Marmore acclamationes insculpsit: *Felici Imperatori omnia felicia*; *salvo Commodo*, *felix Familia*, idest Gladiatoria, non Cæsaris. Tota autem manus, quæ sub uno Lanista exercebatur, Familia appellabatur, ipse vero dicebatur *Familiæ præesse*; hinc natum proverbium Ciceroni familiare, *ducere familiam* [a], quod idem est quam Familiæ

stranezze, e crudeltà di questo Prencipe gli procacciassero un tragico fine, e restasse da tutti gl' Istorici infamata la sua memoria; non ostante Gallieno Imperatore collocollo tra gli Dej. DIVO COMMODO. (Prima di Gallieno fu ciò fatto da Severo, come può vedersi in questo Tomo *Diss.* IV. *pag.* 64.)

Si trova finalmente ne' tempi più bassi un infinità di esempj di simili acclamazioni su le Medaglie degl' Imperatori, e l'adulazione assuefece dopo lungo tempo i Romani a dispensarle prodigamente anche a coloro i quali ne erano i meno degni. Tali sono tra le altre le Medaglie di Macrino battute nel tempo della sua esaltazione all' Impero, nelle quali si legge *Felicitas Temporum*. In quelle d'Eliogabolo *Spes Perpetua*; in quelle di Filippo *Spes Felicitatis Orbis*, in quelle di Trajano Decio *Felicitas Sæculi*, di Treboniano Gallo *Felicitas Publica*, di Gallieno *Genius Populi Romani*, ed in una Medaglia di bronzo del Tiranno Massenzio del mio Gabinetto la quale cito, perchè il suo roverscio non è ancora conosciuto *Gloria Romanorum*. Finalmente in Graziano *Gloria novi Sæculi*, e *Augustorum Augustus*.

a *Just. Lips. loc. cit. pag.* 212.

liæ præesse, sumptumque ab hac ipsa Lanistarum præfectura. Arnobius de Cerere loquens; *Nebridarum familia, ait, pellicula cohonestavit binnulæ*, familiam sumens pro societate, vel conventu.

Inter acclamationes huic Principi tributas, nonnullæ ad felicitatem Augusti pertinent [a]: Lampridius [b] causam adfert; *Inter hæc Commodus Senatu semet ridente, quum adulterum Matris Consulem designasset, appellatus est Pius, cum occidisset Perennem appellatus est Felix*. Prius Brittannici nomen assumpsit, deinde se appellari voluit Felicem, quod evenit, ut jam diximus, post Perenni mortem, incepto jam ante Brittannico bello felicibus auspiciis post ejus Trib. Pot. IX. Igitur post Perenni mortem Felix indictus est Imperator.

SILVANVM . AVGVSTVM . FAMILIA . RESTITVIT .

Cum inter Lares adscribi posse Silvanum censeatur, veluti in principio ostendimus;

a *Herod. in vit.* b *In vit.*

mus; hinc in Larum quoque Vialium numero relatum fuiſſe videtur, ita vero familiaris etiam Lar creditus, cultuſque fuit. Eruitur etiam ex antiquis Marmoribus Silvani Collegium unum idemque fuiſſe cum Larum Collegio; noſtramque conjecturam haud parum confirmare videtur hæc inſcriptio apud Gruterum [a].

SILVANO. SACRVM. SODAL. EIVS. ET. LARVM
DONVM. POSVIT. TIT. CLAVD. AVG. LIB.
FORTVNATVS. A. CVRA. AMICORVM.

In qua Inſcriptione, ii qui Collegio Larum inſcripti ſunt, Sodalitio Silvani, & Larum quoque ſodales clariſſime deſignantur. Ferrarius [b] autumat ſiglas AVG. legi debere, veluti Silvano, Genio, Lari, Cuſtodi, aut Patrono Auguſti; ſed bona tanti viri pace, ex noſtro Marmore compertum habemus, Silvano Auguſto legendum eſſe, idemque Silvano Aureliano. Familia igitur

a *Inſcr. pag. 63. num. 1.*
b *De Re Veſtiar. ap. Gruter. tom. 6. pag. 735.*

tur Gladiatoria vel Ædem, vel ſignum Silvani in inſtitutione novi Collegii reſtituit.

DEDICANTE . SEVERIANO . MAXIMO .

Quintilianus [a] de Templis, ac ſimulacris ita locutus eſt: *Dedicatio eſt illa, quæ Deum inducit, quæ ſede deſtinata locat*; ut omittam ea, quæ Eruditiſſimus Mazocchius [b] ſcripſit in ſua Diatriba de Amphiteatro Campano. Quo ad ſimulacri dedicationem, non aliud eſſe autumo, quam ejuſmodi collocationem in deſtinata ſede, quod fiebat per aliquem ex Pontificibus, vel Sacerdotibus, inter quos facile credi poteſt conſtitutum fuiſſe Severianum Maximum, qui Collegium, Templum, vel Silvani Aureliani ſignum dedicavit.

PROCVRANTE . FELICITER . ORDINI . POTESTATVM ET . CVLTIS . DOCTORIBVS .

Senſus, ac ſintaxis hic obſcura eſt, cum legendum ſit: *Procurantes feliciter ordinis* E *pote-*

a *Declam.* 323. b *Vid. ejus Diſſert. Dedic. ſub Aſcia.*

poteStates, *& cunCti DoCtores*; videlicet primi in ordine, Collegio, ac Societate, & omnes Magiſtri, Laniſtæ, qui & Doctores. Apud Goltzium [a] habemus in veteribus lapidibus DOCTOR. COHORTIS., DOCTOR. CAMPI. Ludis Gladiatoriis præerant Laniſtæ, a laniandis corporibus dictis, qui honeſtiore, & invidendo verbo *DoCtores* dicti fuere, & Magiſtri, videlicet quia novos Gladiatores, & tyrones docebant: quin iidem *commentari*, *& diCtata docere* dicuntur, verbis omnibus a meliori ludo ſumptis: idem dicendum, ſi loco CVNCTIS, legendum ſit CVLTIS Doctoribus, videlicet expertis Magiſtris. Procurantes appellantur Ordinis Poteſtates, ideſt primi regentes, vel Adminiſtratores Collegii: Cæſar [b] ait, *Procurator Regni*; qui forſan erant illi, in alio Marmore dicti Curatores, M. Aurelius Aug. Lib. Hilarus, & Cœlius Magnus Cryptarius.

CV-

a *Theſaur. rei Antiq. pag.* 90.
b *De bell. Gall. lib.* 1.

CVRANTE

MARCO . AVRELIO . AVGVSTI . LIBERTO . EVPORAN.

Administratores Collegii superius memorantur; hic videtur, M. Aur. Aug. Lib. Euporanum præfuisse Ædificio; nam Cicero ait [a]: *Præficere curationem, qui statuis faciendis præfuit*; & in lapidibus sæpe legimus [b]: CVRATORES. VRBIS. ET. ANNONAE. AEDILES. CVRATORES. LVDORVM. Sicuti Collegii curam habuere Aurelius Hilarus, & Cœlius Magnus, procurarunt vero Primi in Ordine, seu Collegio, ita Ædificio præfuit, ac curavit M. Aur. Aug. Lib. Euporanus.

MAXIME. COMMODIANE. ABIAS. PROPITIVM. CAESAREM.

Uti Gladiatorum Familia vota, & acclamationes protulit, inscripsitque pro Imperatoris incolumitate, ita Epigramma absolvit, augurando Maximo forsan Severiano Sacerdoti, & Pontifici, qui dicitur hic Commodianus, unde nomen integrum erit

E 2 *Maxi-*

a *De leg.* b *Goltz. ub. sup.*

Maximus Severianus Commodianus, qui Templum, aram, vel ſtatuam conſecravit, omnia felicia ſi Cæſarem habeat in ſe propitium: *Abias*, pro habeas legendum puto, cum purum putumque idiotiſmum ſit.

FINIS.



IN-

INSCRIPTIONES

Præteritis diebus inventæ extra Portam Pincianam Urbis in Vinea DD. Co. de Pelucchis mense Augusti Anno 1756.

L. LICINIVS
M. F. POL. NEPOS
CVIVS . DE . VITA . MERITO
POTEST . NEMO . QVERI
QVI . NEGOCIANDO . LOCVPLETEM
SE . SPERAVIT . ESSE . FVTVRVM
SPE . DECEPTVS . ERAT . ET . A . MVLTIS
BENEMERITVS . AMICIS
HANC . CASVLAM . IN . PARV
O . FECIT . SVPREMI . TEMPORIS
SEDEM . MAIORI . CVRA
QVAM . IMPENSA . POTVIT
DIIS . PARENTIBVS . SVIS
HVNC . LAPIDEM . POSVIT
SVPREMVM . SEMOTO . LOCO
SVPĪVS * . QVEM . FACTVM . EST *sic.
VT . REMANERENT . OSSA
ET . CINERES . CAI . FRATRIS . ET
SVA . VBI . REQVIESCERENT
ET . PER . QVEM . TESTARI . POSSET

QVAM

QVAM . LABORIOSE . ET . NON
*sic. SECVRE . VIX . SER. * ET . QVI . VIVOS
MVLTIS . IN . FVTVRVM . SVPREM
A . HOSPITIA . DONAVIT . AMICIS
CVIVS . IN . HOSPITIO . REQVIESCVNT
MVLTIS.... GRATIIS . ET . AMICIS
QVOS . ROGAT . VT . QVOD . EIS . SVPERAT . SVIS
*sic. DONENT . FRATRIS * . NE . VENDANT
VITENT . HOMINES . AVAROS . AVDACES
MONVMENTORVM
sic. SACRILOCOS . PER . QVOS . DECESSIS
NVMQVAM . REQVIESCERE . LICET
HOMO . VIOLARE . NOLI . SI . TE
MORITVRVM . PVTAS
P. Q. XII.

II.

D. M.
CHRISAORIA . AVG. LIB. ADIVTORI
A . COMMENTARIS . ORNAMENTORVM
FILIO . PIISSIMO . QVI . VIX . ANN. XXVII.
M. VIIII. FECERVNT
CL. APELLES . ET . CL. PRIMATIVA . PARENTI
ET . SIBI
IN . F. P. X. IN . A. P. VIIII.

III.

III.

D. M.

CL. APELLES . FECIT . SIBI . ET
CL. PRIMATIVE . CONIVGI . IDEM . LIB.
CVM . QVA . VIX . SINE . QVERELLA . ANN.
XXXII. MESIBVS . III. IPSA . VIX . ANN.
XXXXV. SI . QVIS . HANC . ARAM . VENDERE
AVT . ABALENARE . VOLET . INFERAT . ERA
RIO . P. HS. XX. M. NAVTIS * . QVI . EMERIT
IN . F. P. X. IN . A. P. VIIII.

* *sic*.



DE BENEVENTANO CERERIS AVGVSTAE MENSORE.